

notanter inquit: « Quoniam quidquid habent clerici, pauperum est; et domus illorum omnibus debent esse communes; susceptioni peregrinorum et hospitem, invigilare deoent, » etc.

62. *Idque fit pluribus de causis.* — Idque fit pluribus de causis, quæ enumerat Hostiensis in *Summa*, tit. *de Temporib. ordinat.* n. 20. §. *Septima*. Primo siquidem non potest esse hospitalitatis exhortator, qui domum suam hospitibus claudit, cit. dist. 42. § 1. Deinde, pietas hospitalitatis remuneratur temporaliter, et æternaliter; juxta illud Apostoli. I. *Timoth.* iv. 7, 8. *Exerce te ipsum ad pietatem: nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem utilis est ad omnia, habens promissionem vite. quæ nunc est, et futura.* Tandem hospitalitas ita placet Deo, ut quidam angelos hospitio recepisse legantur, can. *Quescamus*, dist. 42. Imo et Dominum Angelorum; uti factum refertur in pluribus historiis, et concordat illud Salvatoris. quondam in die extremi judicii ad electos suos dicturi, *Matth.* xxv, 35. *Hospes eram, et collegistis me.* Et hinc, quod ob pluralitatem beneficiorum, simul a nonnullis retentorum, « hospitalitas in ipsis beneficiis debita non observetur, » deplorat inter alia pontifex in extravag. *Execrabilis*. § 1. *de Præbend. inter Communes*: unde ponderando in relatis verbis ly, *debita*, patet, hospitalitatem in clericis, præsertim Beneficiariis, esse debitam.

§ III.

DE OBLIGATIONE CLERICORUM DEFERENDI HABITUM ET TONSURAM, HUIUSQUE FORMA.

63. *Clerici tenentur deferre habitum, tonsuramque suo statui congruentem.* — Queritur I. An, et sub qua obligatione clerici tenentur deferre habitum, et tonsuram clericalem? Resp. I. Ad honestatem vite clericorum inter alia pertinet, ut ipsi deferant habitum, et tonsuram suo ordini, statuique congruentem. Textus est in can. ult. dist. 41. et c. *Clericis officia*. 15. h. t. ubi in concilio generali legitur clericis præceptum in hæc verba: « Coronam, et tonsuram habeant competentem. — Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda, » etc. plura protinus subjungendo, quæ veluti repugnantia statui suo, clericis in vestitu sunt evitanda. Concordat Clem. *Quoniam*. 2. h. t. plura præter statuens circa habitum,

tonsuramque clericorum, et transgressoribus certas pœnas imponens. Hancque additis aliis pœnis, innovavit concilium Tridentinum, sess. 14. cap. vi. *de Reform.* optimam hujus reddens rationem illis verbis: « Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. »

64. *Hæc obligatio concernit clericos in sacris ordinibus constitutos, ac etiam clericos inferiores, si beneficium ecclesiasticum obtineant.* — Resp. II. Hujusmodi obligatio deferendi habitum, et tonsuram, non solum concernit clericos in sacris ordinibus constitutos; sed etiam clericos inferiores, si beneficium ecclesiasticum habeant. Ita communis; estque expresse, et quidem sub gravissimis pœnis, statutum in cit. Clem. *Quoniam*. 2. h. t. et concilio Tridentino, sess. 14. cap. vi. *de Reform.* cujus verba inferius n. 160. referentur, explicando simul pœnas transgressoribus statutas. Accedit constitutio 92. Sixti V. quæ incipit, « Cum sacrosanctum » (et refertur tom. II. *Bullar. Romani*) in qua idem Pontifex quibuslibet clericis, etiam clericali tantum tonsura insignitis, ac beneficium, vel etiam pensionem duntaxat ecclesiasticam habentibus, sub pœna privationis horum ipso facto incurrenda præcipit, ut « Tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talaris deferant: » eo addito, « ut in futurum non nisi actu clericis in habitu clericali et tonsura — incedentibus, quæcunque ecclesiastica, etiam simplicia beneficia, conferantur, » etc. Quod ipsum pontifex ibidem extendit ad milites, sub aliqua approbata regula viventes, et pensionem. vel beneficium ecclesiasticum habentes, nisi incedant in habitu militari suæ militiæ proprio: prout uberius continetur in memorata bulla.

65. *Aut saltem jus in beneficio, vel ad illud habeant.* — Quinimo citata constitutio Sixtina clericos quoscunque ad deferendum habitum, non solum, quando jam « obtinent beneficia ecclesiastica quacunque, etiam simplicia » (percipiendo videlicet fructus eorum) sed etiam, quando « in illis, vel ad ea jus habent: » adeo, ut si secus fiat, eos pontifex « sine ulla alia monitione, citatione, judicis decreto, aut ministerio, ipso facto privatos declaret, ac tam beneficia ipsa per privationem hujusmodi vacare, et libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassa-

tas, » etc. decernat, eorundemque collationem Romano pontifici reservet. Nec mirum: Siquidem clericus minorista habens jus ad beneficium, puta, jus canonice cum expectatione præbendæ, jam reputatur pro beneficiato, arg. c. *In nostra*. 32. juncta Glossa fin. et doctoribus *de Rescript.*

66. *Rigor constitutionis Sixti V. Cum sacrosanctum, non est ubique usu receptus.* — Verumtamen, quod rigor citæ constitutionis Sixtinæ, non sit ubique usu receptus, saltem quoad hoc, ut non deferentes habitum, et tonsuram, absque ulteriori monitione, sint ipso facto privati beneficiis; notat Nicol. Garcias, part. VII. *de Beneficiis*. cap. i. n. 23; Ludov. Engel, h. t. n. 8. et Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 9. n. 14. citans alios.

67. *Estque per aliam bullam ab eodem pontifice non nihil temperata.* — Illud est certum, quod eadem bulla Sixti V. *Cum sacrosanctum*, per aliam bullam, quæ incipit, *Pastoralis*, atque in *Bullario Romano* priorem immediate sequitur, ab eodem pontifice non nihil fuerit temperata: declarando videlicet, quod ipsa non ardet certos clericos papæ familiares, atque officiales Curie romanæ, quatenus « in habitu laicali sua munia promptius, expeditiusque obire valeant; » uti loquitur pontifex. Neque etiam procedat in illis, « qui pensiones, seu fructus, aut prædia, vel bona ecclesiastica, sibi in una vel pluribus vicibus reservata, et concessa, summam seu valorem annum sexaginta ducatorum auri de camera insimul non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum. » Aut si excedunt, non aliter clerici pensionarii ad gerendum habitum clericalem teneantur, « nisi postquam pensiones, fructus, et alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cœperint: vel per eos steterit, quo minus exigant, vel percipiant: prout inter alia loquitur memorata bulla, *Pastoralis*.

68. *Clerici non sunt obligati ad portandas duas vestes longas.* — Notant tamen doctores, et signanter Garcias, part. VII. *de Beneficiis*. cap. i. n. 23. et Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 30. allegans alios, quod per dictas constitutiones clerici non sint obligati ad portandas duas vestes longas; sed sufficiat, quod exterior sit talaris, can. penult. dist. 23.

69. *Clerici in minoribus ordinibus constituti, et beneficium non habentes, non tenentur*

ad deferendum habitum, et tonsuram clericalem. — Resp. III. Cæteri clerici in minoribus ordinibus constituti, et beneficium ecclesiasticum, seu jus ad illud nondum habentes, ad deferendum habitum et tonsuram clericalem nequiquam tenentur. Ita communis. Nam cit. Clem. *Quoniam*. 2. h. t. sicut et constitutio Sixtina, atque concilium Tridentinum loc. cit. dum clericis imponunt obligationem clericalem incedendi, expresse loquuntur de clericis in Sacris, vel beneficium ecclesiasticum, aut saltem jus ad istud habentibus: sicque ipso facto interpretantur, atque declarant, antiquiores canones, qui videntur generaliter omnibus clericis præcipere, ut coronam et tonsuram habentem congruentem, cap. iv, et cap. penult. h. t. cum similibus, de istis duntaxat esse intelligendos, non autem de clericis minoristis nullum beneficium habentibus: quanquam de facto non amplius sint gavisuri privilegio fori. Quod ultimum ut melius intelligatur.

70. *De facto tamen non gaudent privilegio fori, nisi habeant unam ex conditionibus a concilio Tridentino præscriptis.* — Queritur II. Utrum clerici minoristæ, non deferentes habitum et tonsuram, gaudeant privilegio fori, et canonis? Resp. I. Etsi tales clerici, si beneficium ecclesiasticum non habeant, ad deferendum habitum et tonsuram clericalem non teneantur, ut dictum: nihilominus ipsi de facto non gaudent privilegio fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas concilium Tridentinum Sess. 23 cap. vi, *de Reform.* præscripsit, in hæc verba noviter statuendo: « Is etiam (videlicet prima tonsura initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus) fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens: alicui Ecclesiæ, ex mandato episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur. » Hæc concilium.

71. *Quidquid olim fuerit spectato jure communi.* — Ex quibus verbis adeo claris manifeste patet, quod de facto clericus nullam dictarum trium conditionum habens, privilegio fori non gaudeat, sicque non possit declinare jurisdictionem judicis sæcularis. Quidquid olim fuerit spectato jure communi: nam huic quoad propositum, derogatum est per relatum concilium Tridentinum. Aloys. Riccius, part. I. *Praxis fori ecclesiast.* resol.

540. n. 4. et resol. 541. n. 2; Navarrus, concil. 25. *de Privileg.* et alii.

72. *Clericus minorista, si dimittat habitum, sicque non gaudeat privilegio fori, per reassumptum habitum recuperat illud.* — Notat tamen Belletus, *Disquisit. cleric.* part. I. *de Favore clericor. personal.* §. 2. n. 29. et § 8. n. 15; et card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trident.* discours. 24. n. 35. et 36. et quod si clericus minorista, deserviens v. g. ex mandato episcopi cuiusdam Ecclesie, dimittat habitum, sicque non gaudeat privilegio fori: nihilominus, si postea is reassumat habitum et tonsuram clericalem, recuperet privilegium fori. Ratio est, quia huic privilegio non potest clericus renunciare, nisi facto ipso: atqui factum ejusmodi tam tollitur per reassumptionem habitus; ergo. Sequitur proinde, quod si clericus minorista tempore commissi delicti non gesserit habitum, modo autem post delictum, et ante condemnationem, atque capturam eundem reassumat, recuperet privilegium fori Glossa in Clem. 1. *¶. Quandiu.* h. t. Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* disp. 46. n. 29; Covarruvias, *Pract. quæst.* cap. xxxi. n. 8; Alexander, concil. 8. n. 4. vol. I; Julius Clarus, § 5. quæst. 36. n. 15; Belletus, cit. § 8. n. 15. et 16; sed istud limitans, dummodo reassumptio habitus non fuerit facta in fraudem. Verum de hoc posteriori videantur ea, quæ superius lib. II. tit. II. *de Foro competenti* § 10, n. 262 et 267. ac seqq. fusius, atque ex professo dicta sunt.

73. *Episcopus non prohibetur procedere contra clericos minoristas delinquentes, etsi nullam habeant conditionem ex requisito a concilio Tridentino.* — Notat ulterius Garcias, part. II. *de Beneficiis.* cap. II. n. 16. et seqq. et novissime card. de Luca, *de Jurisdiction.* discours. 55. n. 5. et seqq. allegans in terminis declarationem sac. Congregationis concilii, in causa Leodiens. die 12 novemb. 1630, quod quidem clericus minorista, nullam præmissarum conditionum habens, non gaudeat privilegio fori, et ita non possint declarare jurisdictionem sæcularis iudicis. non tamen idcirco prohibeatur episcopus, quin contra eos delinquentes possit procedere, illosque punire, quandiu ipsi adhuc clerici permaneant. Ratio est, quia dictum decretum concilii Tridentini recte quidem procedit in odium ipsius clericus, nullam dictarum conditionum adimplentis, ne scilicet forum laicale declinare possit: non autem ad ejus favorem,

seu ut sibi sub hoc prætextu liceat declinare jurisdictionem episcopi sui; utpote quæ huic ab antiquo competebat in clericos tonsuratos, neque per concilium Tridentinum revocata intelligitur.

74. *Refertur quoad hoc declaratio sacre congregationis.* — Hinc in facti contingentia, cum quidem Lælius clericus, defectum debitarum conditionum patiens. per Curiam sæcularem incarceratus fuisset, postea obtinuit remitti ad episcopum suum: sed cum tractu temporis, ob rerum statum immutatum, agnosceret sibi magis expedire, habere iudicem laicum, quam ecclesiasticum, isto volente in causa procedere appellavit, causa tamen introducta in rota succubuit; uti refert cardin. de Luca cit. discours. 55. in fine ejusdem referens citatam declarationem sac. Congregationis, quam Sanctitas Sua approbavit, videlicet: ut « clericus, etiam non habentes requisita, cap. VI. sess. 23. *de Reformat.* licet ipsi, tanquam contravenientes ordinationi. Sacri concilii, non possint pro se allegare privilegium fori, nihilominus subsint jurisdictioni episcoporum, seu ordinariorum, et illorum jurisdictioni, ne dum in causis, in quibus non prævenerunt, sed illos e manibus iudicis laici repetent, quando iidem clerici adhuc clerici permaneant; videlicet, si neque a jure, neque ab homine per declarationem ser. factam privilegiis clericalibus denudati, seu privati sint. » Hæc ille, sub discours. 24. in *Annotat. ad S. concilium Trident.* n. 41. id ipsum docens; videlicet, quod ejusmodi clericus « in ejus odium utriusque foro subjectus remanebit, ut pluries declaravit hæc sac. Congregatio, ac etiam Rota. » Ita card. de Luca.

75. *Dummodo clerici illi permanant clerici: idque declaratur.* — Additur notanter in relata declaratione sac. Congregationis, « quando iidem clerici adhuc clerici permaneant, » etc.; tum ad excludendos clericos bigamos, utpote qui « ipso jure » omnibus clericalibus privilegiis denudati sunt, et coercionem fori sæcularis astricti, cap. un. *de Bigamis.* in 6; tum propter clericos conjugatos, qui non habent requisita cap. I. *de Cleric. coniug.* in 6. juncto concilio Tridentino, sess. 23. c. 6. *de Reformat.* Nam etiam tales ipso jure privati sunt privilegiis clericalibus, per jura proxime relata: adeoque non censentur permanere clerici; ita ut nec retineant privilegium canonis, can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. Garcias cit. cap. II. n. 18. Sanchez, lib.

XVII. *de Matrim.* disp. 46. n. 1. et 2. et alii; Tacentur clerici degradati, et curiæ sæculari traditi; et nonnulli alii, qui prævia debita monitione, ab subsequuta declaratione iudicis ecclesiastici, sicque ab homine omne privilegium clericale amiserunt, de quibus alibi.

76. *Sufficit quælibet trium conditionum a concilio Tridentino præscriptarum, ut clericus gaudeat privilegio fori.* — Resp. II. Cum concilium Tridentinum, sess. 23. cap. VI. *de Reformat.* loquatur disjunctione, *Aut, Vel;* uti liquet ex verbis ejusdem n. 70. relatis: hinc passim fatentur doctores, quod sufficiat quælibet illarum trium conditionum a concilio præscriptarum, ut clericus tonsura clericali insignitus, vel etiam in ordinibus minoribus constitutus, privilegio fori gaudeat. Nam, ut reg. 70. jur. in 6. loquitur: « In alternativis sufficit alterum impleri, » cum concordantiis.

77. *Adeo, et habens beneficium, etsi non deferat habitum eodem privilegio gaudeat.* — Et hoc adeo procedit, ut clericus habens beneficium ecclesiasticum, etiam si non deferat habitum et tonsuram clericalem, nihilominus gaudeat privilegio fori. Quia licet peccet, possitque idcirco puniri; nihilominus in ordine ad participandum privilegium, concilium Tridentinum in habentibus beneficium non requirit dictam delationem habitus, et tonsuræ: sed hanc duntaxat expostulat in inservientibus alicui Ecclesie, vel in seminario clericorum, schola, seu universitate versantibus: uti liquet ex relatis verbis ejusdem concilii. Ita Nicol. Garcias, part. II. *de Beneficiis,* cap. II. n. 4; Gonzalez, ad reg. 8. cancel. gloss. 5, § 5. n. 6; Farinacius in *Praxi criminali.* lib. I. quæst. 8, n. 70; Aloy. Riccius, part. I. *Praxis foris ecclesiast.* resol. 541. n. 2; Belletus, part. I. *Disquisit. clerical.* tit. *de Favore clericor. personal.* § 8. n. 8. lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. xxxix. § 2. n. 13. citans plurimos alios.

78. *An autem ad hoc sufficiat habere titulum beneficii, vel requiratur possessio hujus, variant doctores. Refertur sententia negantium, sufficere solum titulum.* — Controvertunt tamen doctores, utrum ad participandum privilegium fori sufficiat habere titulum beneficii, seu jus in re respectu illius, vel insuper requiratur possessio illius: adeo, ut si clericus non incedens in habitu et tonsura clericali, capiatur a iudice sæculari, et ipse petat se remitti ad iudicem ecclesiasticum, sufficiat docere de solo titulo beneficii; vel

etiam requiratur, ut doceat de obtenta possessione ejus? Et quidem non sufficere solum titulum, sed insuper requiri quod clericus minorista ad participandum privilegium fori probet possessionem, seu quasi possessionem beneficii; adeoque, si non incedat in habitu clericali, capiaturque ob delictum a iudice sæculari, non sit remittendus ad iudicem ecclesiasticum: tenet card. Tuschus. litt. B. concl. 78. n. 8; Julius Clarus, in *Prætic. eriminal.* § fin. quæst. 36. n. 21. vers. *Illi tamen;* Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 8. n. 70; Scaccia, tract. *de Judiciis,* cap. II. n. 82. ac novissime card. de Luca in *Annotat. ad S. Concil. Trident.* discours. 24. n. 16. Ratio hujus sententiæ esse potest, quam affert Garcias, part. II. *de Beneficiis,* cap. II. n. 41. 12. et seqq. Quia (inquit) decencia, quæ consideratur in proposito, ut habens beneficium non debeat per iudicem sæcularem judicari, non tam apparet ex titulo, quam ex possessione beneficii.

79. *Affirmativa sententia est probabilior, etc.* — Oppositam sententiam, videlicet sufficere solum titulum, tenet Flaminius Parisius, lib. VII. *de Resignat. benefic.* quæst. 1. n. 46. et 47. asserens, quod fuerit resolutum in sacra Congregatione concilii, die 16 julii 1587. Beneficiatum gaudere beneficio fori ante adeptam possessionem. Et hanc sacre Congregationis declarationem, asserentem, quod clericus primæ tonsuræ, habens jus in beneficio ex provisione papali, in suis causis civilibus gaudeat privilegio fori, verbatim refert Garcias, loc. cit. n. 14. licet eam postea intelligat de clerico incedente in habitu clericali, de quo tamen dicta declaratio nullam facit mentionem. Eandem sententiam sequitur Gigas, *de Pensionib.* quæst. 64. n. 12; Bonacina, tom. II. disp. 10. in *Decalog.* quæst. 2. punct. 1. § 4, n. 13; Diana, *Resol. moral.* part. I. tract. III. resol. 29. Lezana in *Summa,* tom. III. *¶. Clericus.* et Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. xxxix. § 2. n. 14. hanc sententiam appellans probabilior, et pro ipsa allegans plures alios. Et certe, si declaratio sacre Congregationis jam relata afferatur in forma authentica, isthæc sententia non solum erit probabilior, sed certa et indubitata; conformiter dictis supra in præmio libri I *Decretalium.* § 8. n. 126. 130. et seqq. Accedit ratio, quia in beneficialibus non attenditur principaliter possessio, sed titulus arg. c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institutionib.* juncta reg. 1. in juris in 6. Quinimo